

Bibliothèque numérique

medic@

Garnier, Antoine - candidat / Couthier,
Jean-François - président. - An
Parisinis frequens potus Thé,
frequenti potu Caffé salubrior ?

1749.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2331 n°105***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax10x0105](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax10x0105)

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. XLIX.

M. JOANNE-FRANCISCO COUTHIER

Doctore Medico, Præside.

An Parisinis frequens potus Thé, frequenti potu Caffè salubrior?

I.



BE A T A tellus est ager Parisiensis. Egris sanisve nullibi aer salubrior. Nullibi gens felicioris ingenii, nullibi inculpatior sanitas, si quod satis est simplici naturæ, satis esset populi luxuriei & intemperantiæ. Quos terra è sinu suo fructus effundit, nulli ferè sunt alibi suaviores, nulli ferè, esculentiores; & si quidpiam cibarii toto orbe gignitur, nativis fructibus elegantioris saporis & alimonie succulentioris sibi faciliè comparat urbs regia immentis opibus felix, ingenti flumine conjuncta cum omnibus, etiam feracissimis orbis totius regionibus, ex quibus dorso suo flumen spolia amplissima advecta reponit intrâ principis Provinciarum pomæria. Cives utilia sectentur, rescindant cupedias, rescindent ferè omnium morborum occasiones. Nihil est quod metuant ab insalubri situ locorum, ab aëre terrarum uliginosarum vaporibus inquinato, ab aquis cæno maligno turbulentis. A nimboris tempestatibus, à cryptis exhalantibus tetram mephytim, pestes & præsentaneas mortes invehentibus. Sibi temperent, gulæ imperent, ferent pretium exquisitum, firmam & stabilem sanitatem. Degunt sub cælo puriori. Erunt cæteris gentibus vegetiores, alacriores, ingeniosiores. Sed nihil eorum intactum relinquunt quæ sub utroque sole ardentissima & exurentia gignuntur, ut torrenti siti jucundius blandiantur, nihil ut torquentem famem elegantius expleant. Lurcones & helluones simplicibus, quæ prudens natura paraverat non contenti, vim illis inferunt, & perniciosè docti, arte damnosâ vel omne ardentium liquorum genus extorquent, vel impensis ingentibus asportanda curant, quæ gignuntur vel sub zonâ torridâ aut remotissimis terrarum tractibus, ut bibendo, sorbendo, pitissando, liguriendo jucundius titillentur, ut obsurdescens palatum voluptuariis omnibus in morsus acrius reficiatur.

I I.

NE repetas ab alio fonte tot formas ignotas veteribus morborum, quibus vexantur torquati nobiles. Sanguinis latex à se lacteæ dulcedinis accenditur, æstuat. Morbis vix aliquis Medicinæ & sapientibus vivendi legibus locus relinqui-

A

tur, dolosis potibus & alimentis corruptus æger, ferendis impar morborum insulci-
bus, victus, fatiscit. Tot præsidii ferox malum, artem sapientum irridet, eludit
industriam. Delicatiores sunt corpora Parisinorum corporibus incolarum totius re-
gni, nulli hominum infantes tam molliter instituuntur, omnem matres ponunt in-
dustriam ad fugandam molestiam, nedum duriori labore corpus macerari sinant.
Omni studio risus & jocos advocant, ad teneram ætatem admovent: in plumis cres-
cit, in eduliis adolescit ad juvenilem ætatem, ut hæcenus muliebre in-
stitutionem referat. Sed ea cœli sôlique clementia est ut juvenes facti grandiores
obeant alacres durissimos Martis labores, & senes perferant, si cupediis extraneis
non abutantur; ferè omne Parisiis genus alimentorum turget succis exquisitissimis;
sapore & substantiâ à nullo superatur vinum Burgundum quod in usu est; nullus
tenerior, nullus robustiorem præbet alimoniam, quàm panis siligineus ex tractu
Gonessensi; omni carniarum specie nulla succulentior, quàm quæ à Parisinis usur-
patur. Quàm multi otio desidîaque torpent, & quibus alii detinentur laboribus,
veræ sunt exercitationum species. Istis sunt ingenia subtilia, mores humanis similes,
sed corpora teneriora & delicatiora.

III.

AT Q U I ferendo liquorum exoticorum in primis Caffè assiduo impetui sic
nata & instituta corpora paria non sunt; huic texturæ delicatiori, fato in-
felici nostrorum temporum, novum damnum accessit, frequentior potus Caffè,
blandius irrepit, sed furit occultè nec idèò minùs atrociter. Ex Provinciâ Yeman
Arabia felicitis à centum & triginta circiter annis operâ & studio Prosperi Alpini
potus iste à nobis cognitus, ferè à quinquaginta frequentius usurpatus est: à se-
p-tingentis familiaris Arabibus, neque tam infausto quàm nobis exitu. Senten illud
Ben dictum ab indigenis, fructui Cacao non absimile, semen est arbutulæ scis-
sum ut dactylus per longum, bini fructus dividuntur sub eodem cortice. Duplex
est seminis Caffè species, alba & citrina: posterior priore præstantior est. Con-
stat ex principiis fixis & volatilibus plurimo phlegmate impeditis, ut nisi commi-
nutum torrefactumque fuerit, vires altius latentes evocari nequeant, exhausto ignis
vi viscoso phlegmate quo spiritus coercentur, vehementi tum pernecitate corri-
piuntur, in sanguinem infusi exagitant, torquent ejus particulas, dissolvunt textu-
ram, hinc invitâ naturâ vigiliæ extorquentur, hinc uberius urinæ excernuntur;
hinc partium ardores, hinc lapsu temporis marcor & aridura. Non istis potus Thé
laborat incommodis. De foliorum Thé vel elegantius Tcha juxta idioma Manda-
rinorum, virtutibus maxima est inter ipsos Sinas controversia. Alii vim illis ad-
scribunt magnoperè efficacem, alii volunt à præconceptis Europeorum opinioni-
bus illam tantum esse repetendam. Clamant priores se esse immunes à podagrâ,
calculo, guttâ serenâ; frequenti foliorum Thé usu Tartari rerum Sinensium nunc
Domini, vesci soliti carnibus crudis, vexantur assiduâ stomachi doloribus, ubi ab eâ
porione abstinere. Folia Thé triplicis generis à Sinis ipsis recensentur: alia crassa,
aspera, minùs jucundi saporis, familiaria Tartaris omnia cruda in stomachum
demittentibus, atque adèò indigentibus menstruo acriore, alia minùs referunt ar-
boris folia quàm ejus muscum, isque muscus modò sit verus, summæ esse perhi-
betur in morbis acutis efficaciam. Alia denique longiora cæteris & crassiora, quæ
si diutius asserventur, fiant magnæ virtutis, neque illa vulgarem cedunt in usum.
Usurpara folia ab omni plebe Sinensi præbent tincturam subrubram, non nihil ama-
ricantem, neque ullo nomine insigniuntur quòd colligantur ex omnibus Imperii
Provinciis. Duplex iterum species est in usu tantum apud Mandarinos aliosque
magnates, una foliis oblongis tincturæ limpida, vividioris, & saporis gratissimi,
volunt nostrates ut violarum referat odorem; Sinæ contrà contendunt hunc esse
ascititium, & Thé inodorum notæ esse melioris. Hæc species vulgaris apud nos est
usûs. Altera species est ex minimis foliis & subnigris, aquæ tincturam flavam &
delicatiorem saporem conciliantibus, stomacho etiam debiliori gratissimum. Hæc
quoque ad nos species advehitur, sed rariùs, sunt pura folia, foliis extraneis non

permixta. Amat arbor maximè procera & crassa, solum lapidosum, & virium majorum est solo insita vergente ad plagam Australem; arboris radices radicibus sunt mali Persici similes, flores rosis albis sylvestribus, abeunt in fructus magnitudinis fabarum alios rotundos, oblongos alios, illi unum pisum in capsulâ, hi duo continent. Avellana seu glans minor rotunda membranâ triplici contegitur sub cortice duriori, qui maturior scinditur, & hians corticis Castanearum more fructum detegit. Fructus recens amaroris est parùm insignis, post duos tresve dies oleosus omninò rugosus & amarus percipitur, licet neque cortex, neque lignum ullam linguæ referant amaritudinem, imò sapor explicatur ad saporem glicyrthizæ nonnihil accedens.

I. V.

TOSTIONE ferè tota subvertitur Caffè natura, redolet empyreuma & amaro ascititio, nisi saccharo condiretur, vix ferri posset; ignis vi quæ plurimo phlegmate viscoso irretita erant principia volatilia & fixa, eodem absumpto, libera sunt, ingressa sanguinem exagitant, somnum fugant, cient urinas: sales igne facti acriores & quasi caustici, magnâ copiâ, & vehementi motu correpti vellunt membranas, ut indè potatores commodum percipiant, sed fugax, sed dolum. Si pulmones, si renes, si cerebrum viscidis humoribus obturentur, discutiunt & foras extrudunt; isto potu Parisienses abutuntur, pitissando otia fallunt, sine lege iterando sectantur oblectamenta, venenum assequuntur, quod prudentius usurpatum, foret remedium. vertigines accersuntur, manuum tremores particulis acribus assiduè membranas vellicantibus; sanguis naturâ paulò viscidior, facescit in serum potionis amaritudine, spiritus sensim exhauriuntur, superstes sanguinea moles abit in vappam viscidam, & lapsu temporis motuum organa sapius vellicata vel nimis laxantur vel obrigescunt. Ex axiomate chymicorum ignis patrat est alkalium, totum idè Caffè alkalinum est, quò sales & sulphura sanguinis absorpta paulatim per urinas deturbantur, tandem ruit robustissimum temperamentum, irruentibus plurimis morborum generibus: nec facile Parisini patiuntur se à pravâ consuetudine & errore revocari, cui pertinaciùs adherent mulieres, sed hysterice insultibus, quibus nunquàm ita obnoxia fuerant ante Caffè abusum, dant pœnas pertinaciæ; quamlibet comminiscuntur causam urgentium morborum, ne à blandienti potione abstineant. Quò delicatior textura corporum est, eò gravius damnum tenerioribus inuritur. Ignea vis quam Parisini in sevit cœli & soli in quo degunt benignitas, jam vino, ardentibus liquoribus, obsoniis acerrimis incalescens, penitus adjuncto Caffè potu accenditur, astat, virus deleterium sanguini permixtum lentâ sed efficaci virtute diffundit, incendium nullâ sapientiâ artis extinguendum; extractum Caffè, & quibusdam cruda seminis tosti infusio verum perhibetur esse venenum. Eliciti ex frugibus & fructibus spiritus ardentis pernici & assiduâ mobilitate, tum & inconcinnâ particularum suarum figurâ Stimulos addunt nativis motibus elicitis ad certas leges & rationes institutas à creatore, vim inferunt prescripto ordini & sapientiæ. Alkali volatili quo ferè uno dives est semen tostum intemperantiùs ingestum, sensim laxatur compages sanguinis, spiritus exhalant tractu temporis nullis, quamvis eupeptis, alimentis refarciendi: sanguis ingentibus Germanorum doliis similis, quibus licet vini tantum adjunctum fuerit, quantum per annum detractum fuerat, aliquot tamen post annos tota moles vapescit. Thé non ita ut potio adulta Caffè; vim infert tenerrimis corporibus, coquitur sed humidâ coctione, leviter infunditur. Pollet sulphurebus & salibus alkalinis volatilibus, sed nativis quibus mitigantur acida nimis evoluta, nonnulla adjungitur atarities & stypticitas. Ad deturbandâ per urinas mixta sanguini heterogenea valet plurimùm, hinc sublevar caput doloribus tentatum, præcavet podagram & calculum, quod de duabus Thé speciebus ad nos allatis est intelligendum. Fortè aliæ quæ sunt in usu species apud Tartaros & Sinas nobis minus convenirent, quod illæ sint acriores. Testantur plurimi se cephalalgia vertigine, cardialgia, velut incantamento fuisse usu foliorum Thé liberatos. Exhausti

4

sudoribus, perigrinatione cursu, isto potu mirè reficiuntur. Oleo plurimo sales temperantur quibus solvunt viscidos humores; undè molecule non feruntur illo impetu, quo abripiuntur adultæ Caffè partes refertæ igneis moleculis, undè feriunt vividius ventriculum cuius sensim motus elasticus & tonicus perimitur: è contrà succo foliorum Thé vis digestiva fit acutior & spiritus reficiuntur. Experientia compertum est molliores illas carnes fieri, quæ cum istis foliis decoquuntur. Hinc patet solvendis in ventriculo alimentis, tollendis obstructionibus, sale quo turgent, vasorum tunicis hærentem materiam extergente, vacuandis humoribus guttam serenam & podagram gignentibus folia Thé maximè esse idonea.

V.

NON tamen folia Thé velim hujus esse efficaciam quam sæpè corporis indoles, morbi vis & gravitas non spernat. O fortunatos nimium, si nostri juris pauca forent pharmaca unâ vel alterâ virtute eminenti insignia. Sed, inquit, lacte Caffè principiorum mobilitas temperatur, sicuratur amaritudo insolens: sed tutius ab eo potu abstinetur, quod eger aliis medicaminibus ut corrigatur, minùs salutare & quod miscelâ temperandum. Excogitata à primo Authore D. Mathæo Thieullier, Facultatis Medicæ Parisinæ Antiquo Magistro, non esset medicatio, si potus Caffè insons fuisset; sed Arabibus potus Caffè impunè à pluribus sæculis familiaris est, (ut nobis foret nocivus:) Arabes non tædet vesci alimentis simplicibus quæ succo & sale nativo condiuntur, sic inedia sunt patientes, non fatiscunt vigiliis & durissimis laboribus: nos fervidis & mobilibus igneæ naturæ scintillis, simul & acerbis magnâ arte conquisitis & paratis cupediis æstuamus, ut efficaces Caffè stimulos vix sine noxâ diù ferre possimus; fatemur illis non nocere, sed quibus meliore luto sinxit præcordia Titan; Alacres ferunt toto vitæ tempore impetum fervidæ potionis: sed qui sunt texturæ delicatioris, tacitè & obscurè fecundam accersunt sibi malorum scaturiginem. Saltem eo sapiunt Parisini, ut dùm sibi liberaliùs indulgent, severiùs infantibus à pernicioso potu interdiciant, donec maturiori ætate fiant robustiores; nec immeritò, experientia docet Caffè potatorum missum venæ-sectione sanguinem totum esse turbidum & quasi cænosum, floridum verò & vividi coloris eorum qui Thé potum usurpant. Crudis, inquit, devoratis carnibus, assiduus Tartari cruciatur stomachi doloribus, qui simplici potu foliorum Thé sedantur; vis ergò Thé ipso Caffè potentior est, & longè actuosior. Sed ea species Thé quâ utuntur Tartari ad nos non transit; longè mirior est quæ à nobis usurpatur ut ferant stomachi debiliores, & recreentur & reficiantur. Utinam adveheretur species Tartari familiaris: optimum sæpè foret Parisinis subsidium doloribus stomachi quibus ab ingluvie torquentur. Ultimo nulli, objiciet quispiam, inter Sinas podagrici, nulli calculosi reperiuntur, ut quid ad usum Thé frequentem potiùs referas quam ad fœlicem cœli temperiem, Sinarum vitam sobriam, aquarum salubritatem? Thé foliorum virtus evanescit & exhauritur zonæ torridæ caloribus quos bis mercatores qui folia advehunt, transendo patiuntur. Sed satis virium foliis super est, ut tollant capitis dolores quos uberior pituita acida peperit; hæc ut sæpè arthritidis materies est, ut quid usus foliorum plurimum non conferet Sinis ad præcavendam arthritidem: hæc si ad bilem acrem & adustam, si temperamentum sit siccum & biliosum eo studio originem referat; fuge foliorum usum quo sectatus fueris in temperamento plethorico & pituitoso, & ingestis alimentis aquosioribus; quod sales Thé sulphureæ summè volatiles bilem exagitant, undè ipsa fieret mordacior.

Ergò Parisinis frequens potus Thé, frequenti potu Caffè salubrior.

Proponebat Parisiis ANTONIUS GARNIER, Lingonæus, Doctor Medicus Remensis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.